

de cœl. c. 3. t. 22. & c. 9. t. 100. 2. ex sequent. quæst. 5.
 in qua dicitur coelum esse incorruptibile. At ve-
 ro quod incorruptibile est, illud æternum est.
 Resp. tò æternum Aristoteles non sumit strictè,
 pro eo, quod nec initium habet nec finem. Fate-
 tur enim DEUM esse causam omnium, lib. 1. Met.
 2. à principio absolute necessario, quale est solus
 DEUS, tum coelum, tum naturam dependere,
 lib. 12. Metaph. c. 7. t. 38. Sed accipit Philoso-
 phus vocem *æternum latius*, pro eo, quod est
 naturaliter non caducum. Est enim coeli
 corpus firmum, constans, perpetuum, cum
 res elementares seu sublunares perpetuo flu-
 xu variè affectæ ultrò citroque commutentur.
 Habet igitur coelum æternitatem quandam pre-
 cariam, & tam diu duraturam, quamdiu DEUS
 voluerit, ut ait *Goelenius in notis ad instit. phys.*
Cornelii Valerii p. 38. De istiusmodi æternitate
 loquitur *Augustinus in Johannem* dicens: *Ex*
perpetuitate creaturarum intelligitur Creator æ-
ternus. Ad secundam probationem, in qua di-
 citur, nos ipsos fateri, coelum esse incorruptibi-
 le: Omne autem incorruptibile esse æternum,
 Resp. Illud demum est æternum, quod est incor-
 ruptibile *ἀπλῶς*, simpliciter & absolute. Hoc
 modo autem incorruptibile esse coelum nos non
 di-